

uxores participarent de dignitate mariti, concubinæ vero essent ancillæ vel ex genere obscuro natæ.

(a) Repete locum Seldeni ad §. *preced. lit. d.* descriptum. Huc pertinet etiam locus Philonis ap. Selden. *d. p. 592. Nahor Abrabe frater duas habuit UXORES, justam & concubinam. Clericus ad Genes. XXII. 24. Si queratur, quale fuerit concubinarum & justarum uxorum discrimen, quatenus ex sacris litteris colligi potest, apparet quidem, concubinas eodem in honore non habitas. Hagarum nunquam æquiparavit Saræ Abrahamus, atque ex edibus, hac volente, eiecit. Keturam amandavit etiam cum liberis. Verum quodnam inter utrasque discrimen esset in aliis, non liquet. Rabbinii volunt, concubinam fuisse uxorem servam absque scripto dotali & sponsalibus, cujus liberi legatis tantum, non hereditate fruuntur. Sed ut hæc posterioris ævi consuetudine vera sint, certe antiquis temporibus omnia non obtinebant, nam concubinarum filii pariter erant juris, nisi pater nollet. Idque exemplo filiorum, Jacobo ex concubinis natorum, constat. Idem ad Genes. XXI. 10. Confer Seldenum de *J. N. & G. & c. d. l. p. 593. & de success. Hebr. in bona def. c. 3. p. 11.**

Ratione concubinatus post legem Mosaicam præmittuntur sex præsupposita.

### §. V.

Antequam vero nunc videamus, utrum ratione concubinatus per legem Mosaicam aliquid novi statutum fuerit, præsupponendum, quod

- 1) Polygamia virilis in lege Mosaica fuerit permessa, aut certe non abrogata, (a)
- 2) quod intuitu divortii licentia pristina hæctenus fuerit restricta, ut uxori regulariter non permitteretur a viro divertere, (b)
- marito vero ex justa causa permissum fuerit, uxori dare libellum repudii, (c)
- 3) quod lege Mo-

Mo-